

igitur, ut ipsi Deo Summo gratias immensas nobiscum agentes devotissimas processiones, & luminosa falodia fieri faciatis. Dat. Casali XXVIII. maji MCCCCL.

Privilegium immunitatis concessum a Gulielmo M. Montisf. Episcopo Albenfi pro subditis Abbatiae sancti Quintini. Ex lib. Convoc. civit. Aq.

92

MCCCCLXVIII.

Gulielmus Marchio Montisferrati &c. Si considerare, & animadvertere velimus, quid est, quod magis principes illustret, ac nominis claritate dignos efficiat, nil profecto reperimus, quod ipsos principes illustriores, & clariores reddat, & efficiat, quam munificentia, & liberalitas. Quapropter cum Reverendissimus in Christo pater Petrus de Carreto Marchio Saone, ac Episcopus Albenfis, & Comes noster dilectissimus Consiliarius a nobis petierit, ut omnes homines sue Abbatie s. Quintini prope Spignum subjectos, videlicet locorum Plane, Cagne, & Jusvalle francos, liberos, & immunes ubique in patria nostra efficere velimus; honeste requisitioni prefati Episcopi, qui de nobis optime meritus est, & annuere, & satisfacere libentissime volentes, sequentes quoque nostrorum illustrium predecessorum vestigia . . . harum serie universos, & singulos homines locorum suprascriptorum Plane, Cagne, & Jusvalle ab omnibus . . . dactis, pedagiis, & gabellis, & exactionibus, & solutionibus quorumque onerum cujuscumque generis, & maneriei pro quibusque rebus, & bonis suis hinc inde pro eorum, ipsorumque familiarum usu quovis modo conducendis transportandis liberos facimus. Hortantes quoque vehementer quoscumque vassallos nostros tam mediatos, quam immediatos, ut antedictos homines in terris suis, a quibuscumque oneribus solutionibus, ut supra dictum est, francos, liberos, immunes, & exemptos nostri contemplatione reservare velint, attento quod jura civilia ita volunt, & disponunt. Mandantes &c.

Dat. Casali 25. aug. 1469.

Joannes Antonius.

Privilegium mercati singularum hebdomadam a Gulielmo M. Montisf. Aq. civitati concessum. Ex Arch. civ.

93

MCCCCLXXX.

Gulielmus Marchio Montisferrati Sacri Romani Imperii Princeps, Vicariusque perpetuus, ac Ducalis Capitaneus Generalis. Si cunctas principum laudes, cunctaque ornamenta, de quibus cum omnium benedictia, & perpetuitate nominis illi & amantur, & predicantur, nos ipsi percurrimus, nihil tam precipuum, nihil tam faustum, nihil etiam tam accomodatum censetur, quam & veterum, & novorum habere reminiscantiam memorum. Nos itaque sinceram in nos devotionem immensam reverentiam, & fidem intemeratissimam fidelissimorum subditorum nostrorum, civium, &

incolarum nostre Aquensis civitatis repetentes merita, equidem ratione optima movemur, & dignum Principe fore arbitramur illorum commodis, & beneficiis semper favere, ac devotis, & honestis requisitionibus morem gerere. Quas ob res dictis nostris civibus Aquensibus ex nostri certa scientia, mera liberalitate, & motu proprio concedimus, ac facultatem, & auctoritatem impartimur, quod de cetero, & in perpetuum in eadem civitate qualibet hebdomada, & in die veneris facere, & tenere possint mercatum liberum, francum, & exemptum a pedagio castri nostre dicte civitatis ipso die mercatus duntaxat . . . precipientes expresse universis, & singulis nobilibus officialibus, & iudicantibus, ac subditis nostris presentibus, & futuris, quatenus statim de hujusmodi nostra liberali concessione mercati publicas proclamationes in locis solitis fieri faciant &c.

Dat. Casali die X. octob. MCCCCLXXX.

Sig. Antonius.

Innocentii VIII. Breve confirmantis concessionem feudalem, aliaque jura a Gulielmo M. Montisf., & Sixto IV. Johanni a Ruvere in feudis Monasterii, & Bestagni concedita Ex Tabul. Dominorum MM. a Ruvere.

MCCCCLXXXIV.

94

Innoentius Episcopus &c. ad perpetuam rei memoriam Sedes Apostolica aequa semper in omnibus distributrix ea, que rationabiliter gesta, & ordinata fore noscuntur, ut illibata persistant, Apostolico consuevit munimine roborare, & que ad illorum observationem conferre possint Apostolice promissionis adhibere remedium, prout in domino conspicit salubriter expedire. Dudum siquidem per felicis recordationis Sixtum PP. III. predecessorem nostrum accepto, quod quondam Gulielmus Marchio alias Montisferrati dederat, tradiderat, & perpetuo concesserat quondam Johanni de Ruvere militi Saonenfi pro se suisque filiis legitimis, & successoribus masculis ab eodem descendentibus in feudum, & jure feudi recti, nobilis, antiqui, aviti, & paterni sub certo modo, & forma tunc expressis castra, & loca Bistagni, & Monasterii Aquensis Diocesis juxta suos confines cum omnibus, & singulis eorum juribus, & pertinentiis accessibus, & egressibus bonis rebus molendinis collectis angariis, parangariis, gabellis, & aliis pensionibus, prestationibus tam ordinariis, quam extraordinariis, ac etiam redditibus, fidei, & ceteris emolumentis debitis, & prestari solitis, venditionibus quoque, utilitatibus terris cultis, & incultis, pratis, vineis, campis, viridariis, pascuis, nemoribus, montibus, planitiebus, collibus, aquis, aquarumque decursibus, ripariis, piscationibus ac omnibus, & singulis aliis pertinentiis, & adjacentiis, & homagiis omnibus, hominum fidelitatibus mero & mixto imperio gladii potestate, & omni moda jurisdictione, ita ut per homines, seu incolas dictorum locorum, a quibuscumque gravaminibus, que eis quomodolibet inferri, & sententiis,